

at, nihil dulcius quam scire grata fuisse Deo, quæ bene im-
penſi temporis memoriam custodiunt.

Sed inquires, grato quidem agnosci animo, quod ej-
usmodi labores obtigissent, quæ omnino divinæ Majesta-
ti non possent displicere; nunc tamen eo majores enasce-
molestias, ex quo per senectutis langvorem in stadio tam
laudabili cursum absolvere non liceat. Sanè fuerunt, qui
Senectutis incommoda parum sentirent, ac proinde seniles
suas functiones Reip. semper consecrarent: quod de Camil-
lo sene laudat Livius, CUI VEGETUM INGENIUM IN VIVIDO PE-
CTORE VIGEBAT, VIREBATQ; INTEGRIS SENSIBUS; ut & de suo
Cyro prædicat Xenophon, in sermone quem moriens ha-
buit, qui quidem negaverat SE UNQUAM SENSISSE SENECTU-
TEM SUAM IMBECHILLIOREM FACTAM, QUAM ADOLESCENTIA
FUISSET. Ast quemadmodum ea provectoris ætatis com-
moditas raro contingit hominibus Scholastico tumultu de-
fatigatis, ita non negaverim juventutem tranquillioribus
negotiis consumptam, majores virium reliquias fovendæ
Senectuti nonnunquam seposuisse. Nos interim speremus,
quod eruditissimus Lipsius tandem de se conqueritur, SEN-
TIRE SE TORPOREM, AC ANIMUM, QUOD LIBENTER FACIT, IM-
PROMPTE FACERE. Quorsum vero talia loquor? fatis est E-
MERITUM OTIARI SALVA CONSCIENTIA,
SALVA GLORIA. Nam cur Conscientia in quietem
non consentiat, si DEUS subtractis aut debilitatis laborum
instrumentis, ultimam quietis necessitatem injungit. Infi-
ta certè non sunt servitia, quæ cœlestis ille Princeps exi-
git: Sed usurarum rationes judicantur e commisso talento.

B

Dum